PETRUS COMESTOR. PS.-DIONYSIUS AREOPAGITA

Kaufbeuren, 1457

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31284
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

ris esse ibi non amoueri lapidem · do-
nec omnes greges conuenirent nec li-
cere particulatim greges adaquare
Cumque percunctaretur de laban · ualet
inquiunt pastores · et ecce rachel filia
eius cum grege suo Que cum aduenis-
sent amouit iacob lapidem ab ore
putei et adaquauit gregem eius · pa-
tet quia solus non iuit iacob et
indicans se consobrinam eius et osau-
latus est eam · Que nunciauit hec pa-
tri suo · Qui occurrens duxit eum in domum
suam · et audita causa fuge dixit ei ·
Os meum et caro mea es · et ideo secu-
re latebis aput me · tandem curam
gregis eum habere decreuit · Post
mensem uero dedit iacob optionem pro
seruitio pastorali · Habebat autem la-
ban duas filias · liam lippis oculis et
rachel uenusto aspectu · Quam diligens
iacob ait · Seruiam tibi pro rachel
septem annis · Seruiuit igitur pro
rachel septem annis · et uidebantur
ei pauci dies · pre magnitudine amoris
Nec dictum est parui · quia desideran-
ti animo ipsa uelocitas tarda est ·
Sed dictum est pauci · quia uidebatur
ei rem tam amabilem paucis emisse
longe enim pluribus annis seruisset
prius quam ea careret · uel dies uo-
cat laborem dierum · qui uidebatur
ei paruus quia laborem leuigabat
amor · Completo septimo anno · fecit
laban nuptias genero suo Uespere autem
facto sub introduxit liam · dans filie
ancillam zelfam · Iacob uero ut dicit
iosephus · per hebrietatem et noctem
lie commixtus est · die facto aput laban
de iniusticia conquerebatur · Qui danda
necessitati ueniam postulauit · mo-
ris ibi asserens esse · maiores ante
tradi ad nuptias · sed post alios sep-
tem annos se daturum ei rachel · lau-
dauit causam protelati temporis · di-
cens se non libenter filiam ad chan-
aneos missurum · cum eciam de so-
rore penitenciam ageret · quod eam
illuc dixexisset · Ieronimus uero dicit
errasse illos · qui dixerunt post alios
septem annos rachel traditam · sed
post septem dies conuiuii · quos quasi
perturbare alia superinducta sponsa
fas non erat · quibus finitis iacob
optatis potius nuptiis · amorem se-
quentis priori pretulit seruiens pro
rachel septem aliis annis De iiii^or filiis
lie et filiis ancille 124

Dominus autem apperuit
vuluam lie sorore sterili
data · ut amorem uiri
fecunditate consequeretur · Que pep-
it filium et ait · Vidit dominus hu-
militatem meam · idest uilitatem
erga maritum · et ideo uocauit filium
ruben · idest uisionis filium Rursum
pepit et alium · et ait audiuit do-
minus me habere contemptui · et
ideo dictus est symeon · idest audicio
pepit tercium et ait · Copulabitur
michi uir meus · quia addidi ei fi-
lios · et ob hoc uocatus est leui · idest
addicio uel firmator societatis · secun-
dum iosephum · pepit quartum et ait
modo confitebor domino et ob hoc ·
dictus est iudas idest confessio · Ces-
sauit itaque parere · proinde rachel
inuidebat sorori · et ait ad iacob · Da
michi liberos · alioquin moriar · Cui
ait numquid ego sum deus · et illa · si
non de me saltem de ancilla mea · et dedit
illi balam in coniugium · non in
uxorem · sed ut ei iungeretur · Pepit
bala filium · et dixit rachel · iudica-
uit me dominus · idest equauit me